



1753, 8.
2, 370. 182.

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS
DE
ORIGINE SVCCESIONIS
IN
CAVSA INTESTATI

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENRICO
B R E V N I N G
IN AVDITORIO PETRINO

DIE II. MARTII ANNO CIOIOCCCLIII.
DEFENDET
FRIDERICVS SCHOENBERG
ZITTAVIENSIS LVSATVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DISSERTATIO IURIS CIVILIS
DE
ORIGINE SUCCESSIONIS
IN
CAUSA TESTATI

AVIA
ILLUSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENRICO
B R E V I N G
IN AUDITORIO PETRINO

Die 11. Martii Anno MDCCCLXIII
P R A E S I D E
FRIDERICVS SCHÖNBERG

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIANA

7333



V I R I S
M A G N I F I C I S
C O N S V L T I S S I M I S E X C E L L E N T I S S I M I S
A M P L I S S I M I S P R V D E N T I S S I M I S

C O N S V L I B V S
S Y N D I C O
P R A E T O R I B V S
A S S E S S O R I
S C A B I N I S

RELIQVISQVE
S E N A T O R I B V S
M E R I T I S S I M I S
I N C L Y T A E C I V I T A T I S
Z I T T A V I E N S I V M

P A T R O N I S O M N I O B S E Q V I O
C O L E N D I S .

VIRI
MAGNIFICI
CONSULTISSIMI EXCELLENTISSIMI
AMPLISSIMI PRUDENTISSIMI
CONSULIBVS
SYNDICO
PRAETORIBVS
ASSESSORI
SCABINIS
RELIGIOSAE
SENATORIBVS
MERITISSIMIS
INCLYTAE CIVITATIS
SITTAVIENSIVM
PATRONIS OMNI OBSERVATIO
COLENDIS

7333



V I R I
M A G N I F I C I
CONSULTISSIMI EXCELLENTISSIMI
AMPLISSIMI PRVDENTISSIMI

PATRONI OMNI OBSEQVIO
C O L E N D I

Quam VIRI SVMMI dul-
cissima sit patria, patriae-
que caritas omnium amo-
rum genera in se complectatur,
cuius cui incumbit,
vt omnia ea agat eaque sedulo cogitet,
quo demum patriae suae commoda prae-
stare possit. Felicissima est ea ciuitas,
quae sapienti consilio PRVDENTIS-
SIMORVM PATRV M regitur, ea-
que felicitate Alma mea, dulcissima Zit-
tauia



tauia fruitur, eamque meam felicitatem
summam puto, quod in ea ciuitate natus
sim educatusque, quam exteri felicissimam
reputant. Abfui equidem per tantum
temporis spacium eoque quasi tempore qua-
si in occulto latui, nulloque documento ha-
ctenus edocui, quantum me patriae dul-
cissimae obstrictum iudicauerim, vt prope
ingratus in patriam videri possem. Sed
id haud factum est absque consilio et ra-
tione. Prohibuit enim me metus reueren-
tialis, quippe nolui VESTRA, PA-
TRONI OPTIMI, abuti patientia,
vt leuissimis meis laboribus negotia VE-
STRA grauissima patriaeque saluberrima
interpellarem. Nunquam vero me deti-
nuit diffidentia, multo minus vt de summa
VESTRA indulgentia et gratia dubita-
uerim. Sed iam amplius, superato illo
metu, non moror publico specimine edito
VOBIS, PATRES PATRIAE,
omni pietatis cultu VENERANDI
meum obstrictissimum deuinctissimumque
animum declarare. Has meas itaque
primi-

primitias academicas VOBIS offero sub-
misſe ſacraſque illas eſſe volui, quo meae
pietati ex parte demum ſatisfacerem. Ac-
cipite itaque, VIRI MAGNIFICI
CONSVLTISSIMI, PRVDEN-
TISSIMI, rationes ſtudiorum meorum
academicorum, ad quas reddendas VO-
BIS me obſtrictiſſimum iudicavi. VOS
iudices compello, VESTRA ſententia ſta-
bo. Gratia VESTRA et benignitas,
quae ſumma eſt, ſpem mihi fecit, fore vt
hunc meum conatum, quem ſolus excitavit
patriae amor et denique pietas, benigniſſi-
me excuſetis. Benevolentia VESTRA
veniam impetrari poſſe, mihi promiſit ea-
que fretus, hanc ſuſcepi audaciam. Qua-
propter nihil ſuper eſt, quam vt pietatis offi-
cio demum ex aſſe ſatisfaciam. Conſeruet
VOS, VIRI AMPLISSIMI, ſum-
mmum NVMEN ad ſera vsque tempora,
feliciffima iubeat eſſe VESTRA conſilia
dulciſſimae patriae utiliſſima. Conſeruet
Orbis Conditor VESTRAS ſplenditiſſi-
mas familias in deſiderium patriae. Bea-
tam

*tam fortunatamque DEVS velit esse
Almam ZITTAVIAM. Floreat PA-
TRIA, floreat inquam perpetuo. Ego
vero felicissimum me reputabo, si diutissime
VESTRO favore et Patrocinio uti li-
ceat, qui sum*

NOMINIBVS VESTRIS
MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
PRUDENTISSIMIS

Dabam

Lipsiae d. II. Maii

MDCCCLIII.

DEDITISSIMVS

FRIDERICVS SCHOENBERG
RESPONDENS.



D E

CAVSIS SVCCESIONIS
AB INTESTATO.

CAPVT I.



Successionem ex coniectura voluntatis naturalem habere originem remota omni lege civili putauit Hugo GROTIVS ^{a)}; sed destituitur validissimis argumentis. Nam quia, inquit, domini ea vis erat, vt domini voluntate transferre in alium possit etiam mortis causa ac retenta possessione, si quis voluntatis suae nullam edidisset testationem, cum tamen credibile non est, eius eum mentis fuisse, vt post mortem suam bona occupanti cederent, sequebatur, vt eius bona esse intelligerentur, cuius ea esse voluisse defunctum maxime erat probabile. ^{b)} Rectus in eo est Grotius, qui putat, eam domini vim esse, vt domini voluntate in

^{a)} GROTIUS de Iure Belli et Pacis. Lib. II. cap. VII. §. 3.

A

in alium transferri possit, sed errat, si et *retenta possessione* hanc dominii translationem fieri posse arbitretur. Haud enim possessio a dominio seperabitur Iure Naturali, quippe nulla domini alia superesse potest coniectura, quam ipsa possessio. Peccat et in eo Grotius, qui totam rem vnice praesumptionibus, vt vulgo vocant, seu voluntatis coniectura probauit. Omnis quae in iure admittenda est praesumptio, vnice vim tunc nanciscitur, si legis autoritas superuenit, cuius in arbitrio legislatoris causa altius quaerenda, sit, vt ex aequitatis studio a iusti cura plane alieno, vel ex decori vtilisque regulis eandem maiestas hauserit. Qui ergo praesumptionibus in Iure naturali locum concedit, aliam illius Iuris legem seu potius axioma quoddam proferat, ex quo praesumptionis valor et aeternae maiestatis consensus appareat. Nisi ita procedamus, nihil agetur in Naturali Iure. Sed ex quo quaeso! demum axiomate huius coniecturae veritatem probabimus. An ideo concedamus, quia coniectura est? id dicat nemo. Alterum quod hanc coniecturam premit, in eo positum, quod legi alias certae e diametro contraria. Concedit ipse Hugo noster, per naturam *bona defuncti eius esse, qui primus occupauerat*. Et recte, quippe iura illa hereditaria seu perpetua aequalitati isti omnium hominum, ad quam tamen eosdem natura efformauit, repugnant. Tantum sibi quisque habeat, quantum occupet, vt absque iniustitia et sic sine metu belli id cripi haud possit. Habeat, quo vsque possidet, vtatur, imo et consumat, si aliter re occupata vti nequeat vel nolit. Sed si definit possidere, quod et morte fit, quippe mortuo nulla amplius supersunt iura, res illae antea possessae iterum fiunt nullius ceduntque occupanti. Omnibus itaque aequale ius est, res illas quondam possessas iam vacuas seu nullius

lius

7333

lius factas denuo occupare. Si voluntatis coniectura valeat, tollatur illa inter omnes aequalitas omniumque iurium paritas, quod iniustum videtur. Nec grauior est ratio PLINII^{b)}, ad quam prouocat Grotius, qui *defunctorum voluntatem intellexisse pro iure esse putat*. Possset hoc procedere, si de ciuitate dicas, vt Plinio visum fuit, quae hereditaria excogitauit iura et perpetua, sed non aeque procedet ex Legibus naturae. Si tantam morientis voluntati sanctitatem tribuamus, vnde imperium habeat moriens praecipendi, quid fieri velit post mortem, vnde obsequium superuiuentium causam ducat? Repugnat id naturae hominis in statu primo et aequalitatis posito, quippe tunc homo neutiquam imperium agnoscit. Cum omnes sint aequales, et sic morientes, an ideo fortius et maius ius habebunt alios obligandi? Equidem valde dubito! Si denique eadem et paria competunt iura, vnde illa voluntatis moribundi declaratio vim habeat, vt a re morte alterius per naturam nullius facta occupanda recedant, quae tamen occupatio a solo animi arbitrio pendet.

Largiar demum, quemlibet id voluisse, quod aequissimum atque honestissimum est. Id verum esset hoc themate, si alteri in alterum competeret imperium et iudicandi ius, imo si aequi et honesti quaestio ex iure naturali decidenda. Sed licet etiam moriens aequissimum et quod honestissimum sit, voluerit, an illa ideo aequissima et honestissima voluntas alterum obliget, vt eidem parendum sit? Ius Naturale id tantum docet, quod fieri debet quodue intermitteri nequit absque pacis externae turbatione. Habeat ergo alter ius perfectum vel ex lege vel ex pacto, et voluntate mea, necesse est, si fa-

A 2

ctum

b) PLINIVS in *Epist. Lib. IV. ep. 10.*

Etum exigit. Ex lege vero ea parendi voluntati morientium necessitas non est, quippe morte res nullius factae a quolibet licite occupantur. Superest vt videamus, an ex pacto adesse possit parendi necessitas. Haud quidem nego, pacisci forsitan posse cum aliis, vt ab occupatione rerum nullius factarum desistant. Sed an illud pactum post paciscentis mortem, cum quo ius exigendi perfectum extinctum est, adhuc obliget, et an cum omnibus omnino hominibus quorum occupandi ius aequale est, pactum, si modo validum esset, iniri posset, dubia sunt quae hanc premunt sententiam. Nec vnquam dictum est, successionem ab intestato ex pacto venire, sic eam tacite praetermittimus. Vnde itaque ducamus *successionis ab intestato originem*? Alia praeterea adhuc subest ratio, ne legibus naturae origines successionis ab intestato tribuamus. Nam si sit vera causa illius successionis coniectura voluntatis, expressa voluntas fortius obliget. At cum nec expressa voluntas obliget, imo quando effectum illa voluntas habere debet, videlicet post mortem, desit iam esse voluntas, hinc deficiat effectus necesse est.

Longe aliter philosophatur Sam. PVENDORFIVS. ⁵⁾ Ait: *Vniuersitas bonorum lege transit per mortem prioris domini in SVCCSSIONIBVS AB INTESTATO. Cum enim et communi hominum inclinationi repugnet, et ad pacem generis humani minime omnium conducat bona quae quis tanto cum labore, dum viueret, quaesuisset, a domini morte haberi pro derelictis et cuius occupanti patere: inde, suadente ratione, apud omnes populos receptum, vt, si quis de suis bonis ipse nihil disposuisset, eius bona deuoluantur ad eos, quos pro communi hominum*

e) PVENDORFIVS de Offic. Hom. et Ciu. L. I. cap. XII. §. 10.

7333

minum affectu carissimos habere iudicatur. Quales sunt regulariter, qui ex nobis descendunt et iuxta hos alii sanguine nobis iuncti, pro gradu quisque propinquitatis. Sed nulla sunt argumenta Pufendorffii. Nunquam enim leges naturales ex communi hominum inclinazione constituuntur: nec omne id, quod apud omnes populos suadente ratione receptum, naturae iustum efficit. Suadet et humana ratio honesta, suadet decora atque utilia. Sic eo non utimur. Aliorum sententias non addo.

Quapropter verius esse arbitror, mortui bona licite a quolibet occupari et hinc cuius occupandi ius competere, quod tunc cessat, si primus, quisquis sit, an cognatus, an vero extraneus, perinde erit, bona illa morte possessoris nullius facta occupaverit. Cum tamen forsan factum sit saepius, ut morientibus liberi et propinqui statim adfuerint, hi primi occuparunt, non, quod alii fortius ius habuissent, sed quod primi erant, qui occupabant. Inualuit id demum magis in ciuitate, cum accuratior familiarum cura fuerit, praecipue cum ciuitas non solum iusti, sed et honesti et decori rationem habuerit. Imo cum et naturae impetus haud raro legi existentiam dederit ciuili, facilius hoc ius introduci potuit succedendi. Confundere ergo mihi videntur *σοφην* illam, quam, cum naturalis dicatur, quasi naturae legibus iniunctam credunt, cum potius sit naturae quidam impulsus, quem natura omnia animalia docuit, cuius vero ratio a lege haud dependet. Caeterum vero *σοφην* illam naturalem nec nego, nec defendo, morum tamen praeceptis quasi emolitam, si re vera est, auctamque arbitror. Quis vero adfectus illos implantatos, quidue ex iis agit, habebit actum, quasi naturae legibus iustum.

iustum. Lex tantum instinctus illos naturae vel probat, vel coercet, et actionum ex instinctu prouenientium quodammodo norma fit.

Quae cum ita sit, nulla iure naturae datur *successio ab intestato*. Paucissimos addo consentientes, ne plane nouaturiens videar, Ephraim, GERHARD ^{d)}) sic philosophatur. *Homine mortuo desit eius in terris voluntas, desit eius dominium et imperium. Cessat itaque et horum effectus et voluntas eius ante mortem declarata nil poterit aliud operari, quam tacitam rerum suarum derelictionem. Ast haec derelictio non est translatio domini ad alium, sed tantum sublatio domini proprii. Post mortem itaque res pristinae libertati derelictione haec tantum restituitur sitque res nullius, quae cedit occupanti. Vnde simul constare potest, quid de successione ab intestato quam vocant, ius naturae praecipiat. Licet enim verosimile sit: mortuum bonorum acquisitione liberis suis vel aliis sanguine proximis voluisse prospicere; sicque aequum sit, piam istam intentionem sine suo non defraudari; stricti tamen iuris regulae talem praesumptionem, quae saepe etiam aliam interpretationem patitur, ignorant, tranquillitate externa nihilominus sarta testaque existente. Breuius rem conficit Nicol. Hieron. GUNDLING ^{e)}) consentiens. Ait: Cum mortui, quemadmodum supra ostendimus, nulla amplius voluntas vera sit, nullum ius, nullum dominium, cadet etiam successio ab intestato firmitas: quam a praesumpta voluntate defunctorum arcessunt. Plura non addo, iam videamus, quid sentiant Romani.*

CAPVT

d) GERHARD. *Delin. Iur. Nat. Lib. II. cap. VIII. §. 85. ad 92.*
 e) GUNDLING. *Iure Nat. Cap. XX. §. 66.*

7333

CAPVT II

Habuit Respublica Romana praeter eas causas, quae omni ciuitati communes quodammodo videntur, suas quoque peculiare rationes introducendae successione in causa intestati. Videlicet primum vtilitate se commendabat illa successio, maxime cum ciuitas ob idem vtile dominia certa fecerit, fecerit et perpetua. Commendauit praeterea eandem succedendi rationem pacis externae studium in ciuitate, ne, si cui liberum esset defuncti bona occupare, occupando, cum omnibus aequalia sint iura, turbac, quod facile fieri poterat, excitarentur. Haec forsā probe omnia iam nouit antiquitas; sed nec hac contenta ratione, alias adhibuit causas, ex quibus certos successione illius gradus constitueret. Nullo prope magis regitur Politia ciuitatis, quam vel superstitione vel religione. Nihil prope est in republica bene ordinata, quod non religionem quodammodo respiciat in republica semel receptam. Leges ipsae haud raro originem superstitioni debebant. Hinc nihil facilius iudicatu est, quam vnde factum, vt apud ipsos Romanos primum iurium peritia penes Pontifices fuerit. Nitebantur enim iura priuata iure sacro, saltem in plurimis causis, quod et intellexisse mihi videtur CICERO. f) Scribit: *saepe, inquit, Publii filius ex patre audiui, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. Totum ne? quid ita? quid enim ad pontificem, de iure parietum aut aquarum, aut vlllo omnino? ergo, QVOD CVM RELIGIONE CONIUNCTVM EST.* Tot itaque actus haud suscipi poterant, nisi Pontifices Romani autoritas accesserit. Superstitio Romana sacra vel priuata et domestica fecerat vel publica.

Haec

f) CICERO de LL. II. c. 19.

Haec ad vniuersam rempublicam simul pertinebant, illa ad singulas familias vel gentes. Iam vero Romuli institutum curam familiarum quodammodo necessariam fecit, cum prudentissime ius Patronatus atque clientelae introduceret, quo arctiori Patres cum Plebe coniungerentur vinculo. Auxere hanc familiarum curam iura illa Patribus concessa, iuraque postea imaginum; sed omnium maxime auxit curam illam familiarum necessitas sacrorum domesticorum, quorum conseruationem sanctissimam esse voluerat Respublica. Sua enim quaeque familia habebat sacra priuata, suasque ferias teste MACROBIO, ^{g)} qui, *sunt inquit, praeterea feriae propriae familiarum, vt Claudiae familiae vel Aemiliae: seu Iuliae, siue Corneliae: et si quas ferias proprias quaeque familia ex usu domesticae celebritatis obseruat.*

Haec itaque ipsa sacra autoritate populi Romani perpetua facta; Cautum enim fuerat Lege Decemuirali: SACRA PRIVATA PERPETVO MANENTO. Etsi quidem Cicero haec, in suis a se excogitatis legibus scripserit, neque omnia quae iis Libris *de Legibus* continentur, a Decemuiris proposita, hanc tamen legem in Tabulis comprehensam fuisse vel inde patet, quod eandem ex Pontificum disciplina illustrat, imo iam satis constat aliunde. Venit forsitan, vt, cum conseruationi sacrorum adeo antiquitus studiosi essent Romani, vt suos sibi quaerere heredes, ad quos sacra peruenirent, si natura denegasset. Efficiebant id per generationem ciuilem, videlicet per arrogationem. Fuere ea sacra causa, cur vxor Romana per confarreationem in manum mariti venerat. Nam γυναίκα γαμετήν κατὰ νόμους ἱεροῦς συνελδοῦσαν ἀνδρὶ κοινῶν ἀπάντων

g) MACROBIVS *Saturnal. Lib. I. cap. 16.*

7333

των ἑνῶν χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, testatur DIONYSIUS HALICARNASSENSIS. ^{h)} Hinc cuius patri familias in sua domo sui Penates, qui cum Laribus in aris ac focis in sanctissima aedium parte colebantur.

In nullo vero iurium themate maior est sacrorum autoritas, quam in successione post mortem, siue testati causam contineat, siue intestati. Nihil certius erat, quam, cum publica sacra publicis sumtibus facienda essent, priuata quoque priuatis seu familiae sumtibus esse instituta. Sumtus vero illi sacris familiae necessario impendendi causa erant, ut Pontifices, quorum cura omnia commissa ea sacra, bona alligauerint sacris, quod CICERONI exprimit. *Pontifices pecuniam sacris coniungi voluerunt.* Rationem si scire cupis, vnice quae-
ras in Patriciorum tyrannide, ex quorum ordine primum Pontifices cooptabantur. Sic enim solebat hic ordo, cui nihil fere ratum, nihil sanctum nihilque bene gestum videbatur, quod eo inscio peractum erat. Sed in eo adest dubitandi ratio: Anne magis sacra potius bonis, quam bona sacris sint alligata? Si ipsum CICERONEM ^{k)} audies, bona habebis principale, ac si iis alligata sacra. Ait enim: *Hoc vno posito, haec iura pontificum autoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret: IIS ESSENT EA ADIUNCTA, AD QVOS EIVSDEM MORTE PECVNIA VENERIT.* Bona recte Tullius artis termino *pecuniam* vocat

h) DIONYSIUS HALICARNASS. *Hist. II. p. 95.*

i) CICERO de *LLbus II. cap. 20.*

k) IDEM *ibidem cap. 19.*

cat teste VLPIANO. ^{l)} Pecuniae enim verbum, inquit, non solum numeratam pecuniam complectitur, verum omnem omnino pecuniam, hoc est, omnia corpora, nam corpora quoque pecuniae appellatione contineri nemo est, qui ambigit. Nec alienus est HERMOGENIANVS ^{m)}, qui pecuniae nomine, inquit, non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quam mobiles et tam corpora quam iura continentur. Pecuniam ergo Tullius noster primum, cui adiuncta sacra, ponere videtur. Sed salva res est. Ipse enim optimus est interpres verborum suorum Marcus. Nam videtis, ait, omnia igitur pendere ex vno illo, quod pontifices pecuniam sacris coniungi volunt. Et suadet id etiam superciliosio, quae absque dubio sacra praetulit bonis. Sed haec tanti non sunt, quippe et parum intererit, an pecunia sacris, an sacra pecuniae alligata sint. Satis certum arduissimo vtraque vinculo cohaerere, vt nec nisi autore Pontifice adhibitisque cautionibus separari potuerint neque vnum sine altero recte concipi queat. Nunquam itaque habebis pecuniam sensu iuris, nisi sacra ei iuncta, inde forsitan est, vt *peculium* dixerint ea bona, quae sacris iuncta vel non fuerint, vel iungi non potuerint. Et sic intelligendus est VLPIANVS ⁿ⁾, qui scribit: *Pater familias liber peculium non potest habere, quemadmodum nec seruus bona.* Hic enim sacris haud fruitur, ille vero, cum sacra sua habeat iisque bona alligata sint necesse est, vt itaque *peculium* habere nequeat. Iam vero, cum conseruationis sacrorum ratio cau-

sam

l) VLPIANVS in L. 178. ff. de V. S.

m) HERMOGENIANVS in L. 222. ff. *ibidem*.

n) VLPIANVS in L. 182. de V. S.

sam legi dederat, ut sacra ad agnatos, iis vero deficientibus ad gentiles venirent, habes originem legis decemviralis, ut si cui suus non sit heres, quippe qui sacrorum communione gaudeat, seu potestati patriae subsit, hereditas seu pecunia veniant ad agnatos, ad quos videlicet veniebant sacra et his demum deficientibus succedant gentiles, qui tum sacrorum erant heredes. Quo certiora haec sunt, eo facilius multarum rerum inde deducitur ratio. Cognati a successione excluduntur. Sanguinis quidem ratio seu coniunctio inter eosdem existit, at ab intestato non succedunt cognati, quippe inter eos sacrorum nulla est communio. Arrogatus, qui hac civili generatione, cum Pontificis intercedat autoritas, sacrorum particeps fit, hoc facto suus existit heres necessarius et ab intestato succedit. Addo aliud argumentum. Postliminii ius a limine quod diis sacrum tutelaribus aedium, iura cuius restituerebat, quae antea, cum captus ab hostibus esset cuiusque esse desierat, iusta enim captiuitate iura ciuitatis amittebantur, simul amiserat. Cumque hac ratione non tantum profana iura amisset, sed et adeo sacra, per limen reduces introire haud poterant, sed docente id maxime HEINECCIO *) ex PLYTARCHO post limen per tegulas et impluuium intro se ipsos demittebant, quo facto et sacra et iura ipsis restituerebantur iisque restitutis bona sua quoque recuperabant. Bonorum itaque suorum prius participes fieri non poterant, quam si sacrorum facti essent antea. Emancipatorum conditio, satis nota. Haud sanguinis tollebantur iura seu cognationis, sola sacra atque ab iis pendentia iura tollebantur. His ergo sublatis consequen-

B 2

bantur,

*) HEINECCIUS *Antiquit. Rom. Lib. 1. Tit. XVI. §. 4.*

bantur, nec posse eundem heredem esse ab intestato. Licet vero haec per se vera sint, effecit tamen sacrorum fauor, vt et interdum bonorum ratio potior fuerit, idque tunc praecipue fiebat, si nemo adesset, qui sacrorum communiōe ex iure sacro fruebatur, quippe tunc sacra ad eum veniebant, qui bona habebat. Innuit id CICERO P). *Si nemo, inquit, heres sit, is, qui de bonis, quae eius fuerint, cum moritur, vsu- perit plurimum possidendo, scilicet sacra capiat simul.* Vsu- captione itaque non tantum acquirebatur pecunia, sed ea acqui- sita vsucapta quoque videbantur sacra domestica. At ea ne forsitan ex ingenio ipsius Ciceronis, qui rationes scribendarum legum in republica bene ordinanda proposuit? Dubito, cum ipse Tullius ad Praeceptoris sui auctoritatem prouocet. Ait enim: *Haec nos a SCAEVOLA didicimus*, vt ergo patriae suae iura exhibeat.

Omnis ergo successionis in causa intestati origo vni- que quaerenda est in communiōe sacrorum, ita, vt, cum ad certas personas leges sacra deuoluerint, ad easdem quoque bona seu pecunia veniat. At cum et familiae conseruandae essent ex vtilitate reipublicae, licet et vxor filiaeque sacrorum communiōe gauderent, cum per easdem familia non conseruari pos- sent, factum, vt et a successione non nunquam exclusae sint. iam vero aliorum audiamus sententias!

C A P V T III.

Pruicissimi sunt Ictorum, qui causas originis successionis ab in- testato iusto studio perlustrarunt. Plerisque fatis est, dixisse, hanc

P) CICERO *cit. lib. c. 19.*

hanc Iure naturali esse introductam suavitatis ipsius humanae naturae et sic iure ciuitatis Romanae donatam. Sed hos refutandos neutiquam censeo, et iam refutati sunt supra. Nesciunt enim hi ipsi homines, quibus limitibus iusti disciplina contineatur, quo multum confert, quod plerique ex falso iudicent disciplinae axiomate.

Pertudit errores huius sententiae optime *Corn. van BYNKERSHOEK* 1) acutissimus Legum interpres et emendator. Refutauit *Grotium*, imo et refutauit eleganter: hic enim vnice propter scientiae elegantiam refutandus videbatur. Cuius ergo cum scientia ipsi displiceret, ex alio quodam fonte quemque agnoscit ciuitas, solum originem huius successione legitima deducit. Inuenit ex sua sententia originem in conditione agnatorum. Hypotheseos huius argumentum petit ex *Aristotele*, et hinc sic philosophatur: *Familiae vniuersitas quaedam est ab Aristotele et aliis reipublicae comparata. Patrens dum viuunt, huius vniuersitatis caput est, siue ut Gaius ait princeps familiae L. 196. pr. de V. S. omnes et omnia exercitio habens et potestate. Liberi non secus atque accessiones considerantur, partes tamen vniuersi corporis, unde quae ad corpus pertinent, etiam vno patre ipsorum esse creduntur tam dominio L. ii. §. 2. de Lib. et postum hered. instit. quam possessione L. 2. §. 2. pro hered. Haud equidem nego Ictos interdum allegasse Aristotelem quod factum in L. 36. de Solut. et Lib. Sed reipublicae Romanae conditores argumenta ex eo petiisse, vel saltem idem cum eo sensisse, id me fugit,*

B 3

maxime

1) BYNKERSHOEK. *Obscruat. Iur. Ciu. Lib. II. v. 1.*

maxime cum SCHVLTINGIVS^{f)} iam antea sub regibus heredes suos ab intestato primo omnium successisse probet, dicat quicquid velit GALVANVS^{s)} qui ex institutis *Solonis* ad Romanos hanc succedendi rationem peruenisse arbitratur. At quid faciamus cum testimoniis, ad quae prouocat Batauus? Videamus an satis bene adduxerit ICTos in sententiam suam. Nihil moneo contra GAIVM^{t)}, quippe ille a potestate patria, quam leges Romanae parenti dederant, eundem familiae principem vocat, non aequae, vt rationem introductae patriae potestatis vel successionis ab intestato rationem proponeret. Sed forsitan melius Cornelii sententiam probat PAVLVS^{u)}, verba fragmenti sunt: *In suis heredibus euidentius apparet, continuationem domini eo rem perducere, vt nulla videatur hereditas fuisse, quasi olim hi DOMINI essent, qui etiam viuo patre quodammodo DOMINI existimantur; vnde etiam filius familias appellatur, sicut pater familias: sola nota adiecta hac, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit. Itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur: sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. Hac ex causa, licet non sint heredes instituti, DOMINI sunt.* Quis itaque de veritate sententiae Cornelii dubitet? Itane eam probauit legibus firmavitque ICTorum auctoritate? Cum ergo filii a Paulo dicantur domini, ergo successionis ab intestato origo in condominio quaerenda. Adstipularer van Bynkershoekio, si et Paulus de agnatis et gentilibus

f) SCHVLTINGIVS *ad Ulpiani Fragm. p. 665.*

s) GALVANVS *de Vsfuict. VIII. 13.*

t) GAIVS *L. 196. π. de V. S.*

u) PAVLVS *L. 11. π. de Lib. et Postb. hered. instit.*

libus idem scripsisset: imo et si idem de iisdem dixisset, nec ipsi assentiret. Sancitum est a *Decemuiris Legum scribendarum*: SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. SI AGNATVS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HERES NANCITOR. Primus ergo in successione ab intestato gradus erat *heres suus*, hoc deficiente *agnatus*, et tunc si et hic deesset *gentilis*. Iam suum heredem Paulus dicit DOMINVM. Agnatus vero et gentilis non sunt inter heredes suos, hinc *nec Domini* sunt ex mente Iulii. Parum ergo ad sui defensionem vel nihil confert adductum Pauli fragmentum, maxime vt exinde condominium probetur. Sed quid faciamus cum IULIANO x)? Sic scribit: *Quod vOlgo respondetur, causam possessionis neminem sibi mutare posse, sic accipiendum est: vt possessio non solum civilis sed etiam NATVRALIS intellegatur.* Et propterea responsum est, neque colonum, neque eum, apud quem res deposita, aut cui commodata est, lucri faciendi causa pro herede vsucapere posse. FILIVM quoque donatam rem a patre pro herede negavit vsucapere Seruius; scilicet, qui existimabat, naturalem possessionem penes eum fuisse viuo patre. ICTus ergo affirmat naturalem possessionem viuo patre penes filium familias esse? Ita ne rectius huius autoritate vsus ad probandum fontem successione ab intestato, quam Pauli. Neque hoc placet argumentum. Possset excipi hic apud Iulianum dici de solo filio familias non aeque de gentilibus. Sed ne haec quidem vrgeo! Rectissime philosophatur Sal-

uius.

x) IULIANVS L. 2. §. 1. ff. pro hered.

uius. Possessio illa naturalis consistit in eo, si rei vel incum-
 binus vel saltem habendi sibi animum signis indicamus cer-
 tissimis. At filius familias, qui in conuictu patris est, in ea-
 dem cum eo domo habitat, et propter eam, quam supra
 probauimus sacrorum comunionem etiam quodammodo ius
 in rebus patris habet, naturaliter omnino possidet. Sed
 haec naturalis possessio non efficit propterea *συνδεσπόρας* fi-
 lios. Vnde vero illa naturalis possessio erit in agnatis et gen-
 tilibus, qui non sunt in conuictu patris illius familias, in cu-
 ius pecunia illis competit ius succedendi ab intestato? Hoc
 non peruidit van Bynkershoek. Vera ergo successionis ab
 intestato causa prima haud posita esse potest in condominio,
 quod illud saltem de filio familias quodammodo et vel im-
 proprie dici potest, et cum dein desit adhuc huius condo-
 minii causa. Quod si vero in *sacris* originem successionis
 ab intestato quaerimus, facilius dari potest ratio, cur defi-
 cientibus suis heredibus familia ad agnatum, vel eo non exi-
 stente demum ad gentilem perueniat. His positus, nec
 dissentientem habebimus Paulum, nec Iulianum. Sed plura
 hic non addo, dixi iam satis supra. Id saltem verissimum
 est, van Bynkershoek nec probasse suam causam, nec probare
 potuisse.

CAPVT IV.

Premittit tandem sententiam nostram alia quaedam difficultas
 etaeque non minor. Regula est, quam effinxere sibi
 Pragmatici et qui de applicandis ad facta obuenientia le-
 gibus laborarunt; *Cessante legis ratione, cessat huius dispo-*
sitio

fitio. Haec si vera est regula, nihil certius est, quam omnem nostram corruere sententiam, quae huius regulae contrarium approbat. Quantum enim laborarunt veteres Icti in excogitandis cautionibus, ut sacra et bona iterum disiungerentur, quae antea Pontificum cura tam arcto vinculo coniunxerat. Probant id *Senes coemtionales*, si vera ea sunt quae dixit HEINECCIUS ^{y)}: Nec minus in fraudem sacrorum iura euerterunt Praetores, quod apparet ex *testamentis praetoriis*. Sed haec adeo non curamus. Expulit demum sacra Christianorum religio haec sacra domestica successione in causa intestati fontem: expulit illam superstitionem, ad quam tot compositae leges civiles. Cessante ergo legis et huius iuris totius ratione, cur non aequè cessauit applicatio? Iam defecerat Iustiniani tempore omnis causa, ut et obinde id, quod inter agnatos interesset et cognatos facillime lege tolleretur, imo ut emancipatos cum suis coniungeret, nec tamen res rediit ad statum naturalem, ut bona cederent occupanti, quisquis demum ille sit, sed accuratius potius succedendi ordinem ab intestato determinauit. Non ergo errare videbor, si dixerim falsam esse illam pragmaticorum regulam, si absque restrictione omni capias. Pendet legum valor a voluntate maiestatis, quae toties retinet antiqua, quoties ipsi salus reipublicae et tranquillitas exigere videtur. Cessat lex cessante ratione illius legis, si voluntas maiestatis vel tacita concurrat. At si ea deficit voluntas, nihil certius est, quam superesse legi obligandi

y) HEINECCIUS in *Antiquitat. Rom. L. I. Tit. XI. §. 1.* *

gandi vim, licet originis illius causa desit, maxime si se vtili commendat. Firmatur haec sententia vel argumento successione ab intestato. Commendabat se ea vtili, sicque retinuit respublica romana non amplius de originis illius causa sollicita. Saltem gentilium successio infrequentior facta, cum cognati cum agnatis simul admitterentur, eaque plane ab usu recessit. Causam quoque inuenies in eo, cum simul cum sacris et familiarum gentiumque tam sancta cura veteribus interierit, vt adeo gentiles ius suum vix amplius probare potuerint. Sed haec amplius nos non morantur. Quae tandem iura habuerit patria nostra nostrique maiores in successione ab intestato, iam constat ex TACITO ²⁾ qui sic scribit: *Heredes successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in successione fratres, patrum, auunculi.* Non inquiram in ipsam succedendi ab intestato rationem, exhibet eam HEINECCIUS ³⁾ et difficilis ille esset labor, cum quot gentes patriae nostrae fuere, tot diuersae quoque notandae veniunt successiones. Nec curamus ipsam successionem, curamus potius causam, quae mouerit ciues, vt a iure, quod natura docuerat, recesserint. Quapropter arbitror, nullam commouisse maiores nostros aliam rationem ad introducendam successionem ab intestato, quam hanc, quod facilis fuerit liberis occupatio prior. Effecit amor, vt mallet suos habere liberos rerum suarum derelictarum possessores. Adinuenit tandem politia germanorum studium conseruandarum familiarum. Liberos condominos, agnatosque similiter habuit fundi. Hinc se

2) TACITVS de Morib. Germ. c. XX.

3) HEINECCIUS Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. IX.

se commendauit successio filiorum et agnatorum ab intestato, quae primum consuetudine, postea lege confirmata fuit. Neque potuit successionis ab intestato germanicae ordinem penitus eicere lex romana, quae toties ex moribus maiorum salua superest, sed tantum effecit ius receptum, vt si patria lex fileret, ea suum ordinem introduceret, vel interdum simul germanico de suo quid adderet, quam iurium commixtionem barbarici temporum merito debemus. Cum ergo apud nos adhuc supersint familiarum conseruandarum cura, familiae societas et ceterae causae, quibus se commendauerat haec successio, mirum non est, si adhuc hodie ea supersit. Sed plura non addo. Haec enim potius *ὡς ἐν παροίῳ* dicta sunt. Coniecturae sunt, et est humani ingenii ratio, vt interdum quid verum putet absque dubio, et tamen hac conscientia facile peccet. Si ergo meliora dentur, primus ero, qui consentiat. Hoc enim debemus veritati.

T A N T V M.



se commendavit succellio filiorum et agnatorum ab intestato
 que prius confederatae, postea lege committitur
 Nemo potest succelliois ab intestato germanicas ordinem
 gerere sicut lex romana, que toties ex moribus maiorum
 lata superest, sed tantum efficit in receptum, ut si perita lex
 fuerit ea sunt ordinem intenderet, vel in iustitiam
 manio de suo quid adderet, quam iustitiam commixtionem par-
 tibus temperant morio deponens. Cum ergo apud nos ad-
 huc sepe sint familiarum confederantur cura, tam illis so-
 cietas et ceteras causis, quibus se commendaverunt, hanc in-
 cessio, minus non est, si ab his hodie ea superest. Sed pluri-
 ra non addo. Hanc enim potius sepe in receptis dicitur hanc
 Confederatae sunt, et est humani ingenii ratio, ut in iudicium
 quid verum dicitur abduci dubio, et tamen hanc confederatae in-
 cilio peccet. Si ergo meliora deam, prius ero, qui con-
 ferant. Hoc enim deponens verum.

M T V M




7333

Leipzig, Diss., 1753

X 237 3094







Handwritten note on the book's spine:
H. Henning 2. orig. f. 10. in off. v. 1. 182.

1753, 8.
~~2, 370~~ 182.

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS
DE
ORIGINE SVCCSSIONIS
IN
CAVSA INTESTATI

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENRICO
BREVNING
IN AVDITORIO PETRINO

DIE II. MARTII ANNO CIOIOCLIII.
DEFENDET
FRIDERICVS SCHOENBERG
ZITTAVIENSIS LVSATVS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

